LEGIONENSIS CANONICATVS

IN

EX.MA MARCHIONVM ASTVRICAE

DOMO

Dignitas expensa:

Historico----Iuridica Dissertatio

ANTONII AGRAZ

DE SPVIG I. C.

MARCHIONIS VNIAE,

Placæ Abbatis, CLEMENTIS IX. ac X.

Summorum Pontificum

à Cubiculo.

ROMAE, Typis Iosephi Corui. 1672.

Superiorum Permissu.

Imprimatur, Si videbitur Reuerendissimo P. Magistro Sac. Pal. Apost.

I. de Angelis Arch. Vrb. Vicesg.

Imprimatur.

Fr. Hyacinthus Libellus Sac. Pal. Apost. Mag.

LEGIONENSIS
CANONICATVS
IN
EX MARCHIONVM ASTVRICAE
DOMO
Dignitas expensa.

CLEMENTE IX. Petri Cathedram obtinente, Ioannes à Toleto ex Hieronymiana familia Legionẽsis Episcopus, cùm in Pontificum Decretorum executionem aliquem ex sui Capituli gremio Romam mittere ad Apostolorum limina visitanda teneretur, nec inscius in Vrbe Legati pro Catholico Rege Excellentissimum Dominum Don Antonium Petrum Aluarez Osorio Gomez d'Auila, Asturicæ Veladæque Marchionem munera obire, eius hac in re ministerio vti decreuit, vt vno eodemque tempore memorabilem Legionensis Ecclesiæ

prærogatiuam, quæ ſuos inter Canonicos Villaluporum Dominos, ipſoſque Caſtellæ Reges adnumerat, oſtentaret: Quapropter Oſorio vti Canonico onus hoc iniunctum voluit, eique procuratorias litteras tranſmiſit, quibus ille acceptis, ac Summo Pontifici exhibitis, petijt vt ſibi Epiſcopi iuſſa exequi liceret: Obſtupuit nouitate rei Clemens, & quod antea non audiuerat vix credibile ſibi quodammodò videbatur: Quamobrem antiquas huius, qua domus ſua gloriatur, dignitatis traditiones recenſuit Marchio, aſſerens; in Hiſpanijs nullum eſſe, cui ſit ignotum, Caſtellæ Reges vti Legionis, Aſturicæ verò Dominos vti Villaluporum ſucceſſores, illius Eccleſiæ ex Summorum Pontificum diplomatibus, ac cõceſſione inter Canonicos recenſeri; nullique abſconditum hoc nomine vtroſque in Choro proprium locum habere, Regibus in dextera, Marchionibus verò in ſiniſtra parte ſedẽtibus, & emolumentis gaudere, ac diſtri-

ſtributiones accipere quoties ſacris in ea Eccleſia functionibus interueniũt. *His peroratis haud tacuit*, ſe dignitatem illam per octingentos annos, nulla intermiſſione, à progenitoribus ſuis poſſeſſam tanti facere, vt cæteris, quæ in Domo ſua ſunt iure, ac meritò præferret: *Audijt Pontifex ſumma hilaritate dicentem, & Epiſcopi litteras ad Sacram, quæ à Concilio dicitur, Congregationem ſine mora remiſit; Quapropter vt DD. Cardinalium, qui in ea iudices ſedent, curioſitati (erat quippe maxima) ſatisfieret, onus mihi demandatum eſt, vt ſcriptum hac de re conficerem: Hinc vt eius nutibus, qui præcipere poterat obtemperarem, ſequentem edidi diſſertationem.*

Excellentissimo Domino

DON ANTONIO PETRO ALVAREZ OSORIO

Gomez d'Auila, & Toleto

Marchioni Asturica, & Veladæ, Comiti de Trastamarra &c. S. Ecclesiæ Legionensis Canonico & apud Summum Pontificem Caroli II. Regis Catholici Oratori.

Princeps Excellentissime.

PRAECEPIT Excellentia Vestra, vt maiori qua possem, breuitate, Legionensis Canonicatus, quo familia sua fruitur, prærogatiuam literis commendarem;

rem: Impoſitum onus extimui, non excuſſi, quippe legeram apud Auſonium:

Scribere me Auguſtus iubet; & mea carmina poſcit
Pene rogans: Blando vis latet Imperio. Epigr. 3.
Non habeo ingenium: Cæſar ſed iuſsit, habebo.
Cur me poſſe negem, poſſe quod ille putat?
Inualidas vires ipſe excitat, & iuuat idem
Qui iubet, obſequium ſufficit eſſe meum.
Tu modò te iuſsiſse, Pater Romane, memento,
Inque meis culpis da tibi tu veniam.

Hinc quæ ſparſa hac de re apud Scriptores reperire potui in vnum veluti faſciculum collegi, nec meo ſine oblectamento, cùm tanti Principis dignitatem Regiæ ſimilem inueniſſem: Ea igitur ita ſe habent; ſed liceat antequàm hiſtoriam aggrediar, pauca, quæ ſequuntur præcinere.

EXtra controuersiam est seculares omnes ab Ecclesiasticis officijs Pontificũ constitutionibus semoueri: 1 Nec immeritò, nam cùm vtriusque regiminis diuersa munia sint, iure factum est, vt alterum sectantes ab alterius Prouinciæ finibus penitùs excludantur. Verumenimuerò cum ex sua parte hæc prohibitio non sit iuris naturalis, aut diuini, sed tantummodò Pontificij, 2 & aliunde suas quæque regula patiatur exceptiones, ardentissima Principum erga Religionem deuotio, & ingentia merita id plerumque effecerunt, vt stricto huic iuri dispensaretur: Hinc cùm Regum plurimi pium esse existimauerint in Choro Deo laudes canere, permissum eisdem fuisse legimus, ad sacrum hoc ministerium cum Ecclesiasticis interesse: 3 De Roberto

tò prodidit *Vincentius Bellouacensis*, 4 quòd sacris excubaret officijs, Pontificioque Pallio ornatus clericis præcineret, chorumque regeret; Eodẽ pietatis studio Conradus Imperator apud Germanos laudibus effertur: 5 Sic etiam & Orientis Imperatoribus solemne fuit festis diebus clericorum ministerio perfungi in mysticis hymnodijs, vt de Leone Armeno, Theophiloque testatur *Cedrenus*, & de Michaele Balbo *Zonaras*: 6 Atque vt id iure præstarent inter variarum Ecclesiarum Canonicos recipi obtinuerunt quamplurimi Reges; sic Carolus II. Andegauensis Rex Neapolis cùm D. Nicolai Ecclesiæ apud Barum nonnulla elargitus esset feuda se eiusque in Regno successores in Canonicorum cœtu enumerari vo-

luit. 7 Sic Reges Christianissimi nobilioribus sub eorum ditione in Ecclesijs Canonicos se iam olim inscribi voluerunt, 8 vt B. Virginis Clericensis, affirmat *Coquille*; Ebrodunensis, *Ranchinus*; S. Ioannis Lugdunensis, *Petrus Matthaius*; Pictauiensis, *Panormitanus*; Cœnnomanensis, *Chopinus*; hancque propij Regis pietatem describit 9 *Bret* accuratissimus Maiestatis specialiũ indagator.

Eodem quoque iure, quo die in Aquisgranensi Ecclesia inauguratur Rex Romanorum, in ea Canonicus instituitur. 10 Immò & Romæ Imperator, absoluta sui consecratione, in Vaticana, & Lateranensi Basilica Canonicus solemniter installatur, Summoque Pontifici ministrat vice Subdiaconi, 11

quo

quo ritu Fridericum III. in album Canonicorum S.Petri relatum prodidit *Henricus Mutius*.

Nec Hiſpania his deſtituitur exemplis; ſiquidem Reges noſtros, & Burgenſis, & Toletanæ, & Barcinonenſis, & Legionenſis Eccleſiæ Canonicos & fuiſse, ac eſſe Scriptores memorant: 12 Verùm cũ noſtræ ſcopus diſſertationis eò tendat, vt Canonicatus Legionenſis, quo de agimus, originis, ac dignitatis ſublimitas oſtendatur, omiſsa aliorum exordij inueſtigatione, breuitèr cuncta, ſed dilucidè tamèn, euoluemus.

Ramirus Rex, belli, quòd in Mauros fortiter geſsit, quodque varia diù ſortis alea pugnatum eſt, Deo tandèm auctore, Diuoque Iacobo auſpice, feliciſsimo ſucceſſu

 apud

apud Clauigium victor euasit, reamque vt Apostolo, cuius præsidio victoria steterat, Compostellæ vbi tumulatum nouerat, Hispaniam voti fecit. 13 Hinc Romanus Pōtifex Sergius huius nominis II. quò animi sui lætitiam Regi testaretur, Ramirum, omnesque eiusdem Coronæ successores in Legionensium Canonicorum, ijs expetentibus, consortium admisit. 14 Ab eo igitur tempore ad hanc diem vsque Hispaniarum Reges huius ecclesiasticæ dignitatis prærogatiua perpetuò sibi blanditi sunt, vt ex *Archiepiscopi* monumentis cognosci potest; is siquidem scribit 15 Ferdinandum huius nominis Primum, tantùm huic præstitisse dignitati, vt in Choro vnà cùm reliquis Canonicis Psalmodiam concineret. Im-

mò

mò *ipsemet Auctor* asseuerat 16 piũ, Sanctumque Regem plures cùm eiusdẽ Ecclesiæ iuuenes nudis pedibus incedere animaduertisset, redditum illis pro calceis conficiendis benigniter assignasse: Prætereà *Athanasius Lobera* 17 constantem apud plerosque traditionem fuisse affirmat, ab ijs, qui interuenerant emanatam, quòd Ferdinandus Rex Catholicus, cum Legione degeret, & Centurionis, Marcellique Martyris lipsanorum ab Vrbe Tanger translationi interesset, nulla alia in choro sede vsum illum fuisse, quàm Canonicali, distributionesq; quæ sibi vti Canonico tradebantur, accepisse.

Sed transeamus ad Marchionum Asturicæ Domum; hæc igitur, quæ Villaluporum successit ab eo vsque

etiam

etiam tempore, quo noſtri Reges hac potiti ſunt præeminentia, eandem perpetuò obtinuit; Vna ſiquidem, atque eadem in vtroſque cauſa, ac origo, ſcilicèt, quam ſupra innuimus, Ramiri Regis cum Mauritanis conflictus, ac Victoria, in qua Oſorij Perez virtus, atque audacia potiſsimùm enituit: Is etenim generis nobilitate non modò Hiſpanos inter Proceres clariſsimus, ſed Regi affinis, 18 ac Vexillarius, 19 immò & Regiæ Domui Præfectus; 20 cùm ingentia militaris ſcientiæ, ac virtutis ſpecimina edidiſſet, Regemq; ipſum à pluribus vitæ periculis liberaſſet, dignus Canonicorum Capitulo viſus fuit, qui eodem, quo Rex, Pontifice ipſo annuente, titulo, ac honore decoraretur: Nec res in ambiguo eſt, cum

his quoque noſtris temporibus duo in Eccleſiæ Legionenſis choro ſtalla viſantur, alterum Regis, alterum Oſorij poſterorũ, vt vnanimiter Hiſpaniæ Scriptores teſtantur. 21
Hinc *Aegidius Gonzalez de Auila* 22
Hiſpaniæ Eccleſias deſcribens inter Legionis Canonicos Regem annumerat, Aſturicæq; Marchionem, & *Salazar de Mendoza* 23 vnum affirmat Regis chorum, Marchionis alterum eadem in Eccleſia cõmuniter appellari: Nil mirùm ergo ſi dignitatem hanc perpetuò Marchiones ipſi veluti ſingulare familiæ decus cuſtodierint, ipſa enim ea eſt, quæ pluriès, æquales inter, honeſtiores, ac ſplendidiores illos reddidit; etenim cum Petrus, qui bellicæ virtutis cauſa *Magnus Marchio*, ſublata quauis additione, antono-

maſticè in Belgio vocabatur, editæ per Cæſarem ſanctioni, qua mularum vſus interdicebatur, non obtemperaret, Hiſpaniarum Magnatibus, qui de Marchione querebantur, quòd ſe ab vniuerſalis præcepti obſeruantia ſubtrahendo, ſingularitatem quandam iactare videretur, reſpondit ſe Canonicum eſſe, & edicto non obligari, & ſic eiſdē, ac Carolo V. pleniſſimè ſatisfecit. 24

Verùm hic obijciet aliquis hanc, qua noſtri Reges, Villaluporumque Domini defruuntur, præeminentiā mere honorariam eſſe: At fallitur; ſiquidem (tranſmiſſa quorundam opinione præbendas quatenus temporales ſunt, vel temporalitatem continent, poſſe laicis conferri) 25 ex opere ipſo ſatis ſuperque dignoſcitur Caſtellæ Reges, Aſturicæque

Mar-

Marchiones perpetuò illius Capituli membra exiſtimatos fuiſſe, & nunc etiam exiſtimari, Eccleſiæque functionibus, quoties placuerit, intereſſe, & diſtributionum, vtì veros legitimoſque Canonicos participes fieri, 26 quod ſatis ſuperque ex hiſtorijs probatum eſt. Nec recentiora huius veritatis documenta deſunt; ſcimus etenim, quòd Anno MDCII. Philippo III. & Petro Aluarez Oſorio in choro aſſiſtentibus pars emolumentorum tributa fuerit, eamque ſummo animi iubilo ab illis acceptam, populo qui ad hanc nobilem, raramque functionem viſendam turmatim concurrerat, acclamante: Hinc cum frequētiùs accidat, quòd Aſturicæ Marchiones Legionenſem adeant Eccleſiam, ibique Canonicorum miniſte-

ria peragant, Primicerij in ea fun- guntur officio, 27 Capitulum conuocant, magiſque neceſſaria in Eccleſiæ beneficium, ac vtilitatem, quæ videantur, accuratè perpendũt, ſingulari beneuolentia reſpiciunt, proponunt, & reliquorum Canonicorum ſuffragijs interuenientibus decernunt; quòd ſi Canonici Honorarij tantùm eſſent his functionibus abſtinerent, nec præter in choro ſedis vſum, nudumque titulum, alio munere fungerentur. 28

Porrò vt validior hæc veritas reddatur ſilentio præteriri haud debet, quòd *Athanaſius Lobera* diligens Magnitudinum Legionis Scriptor, 29 ita minutim, veluti oculatus teſtis, Canonicatus poſſeſſionẽ Anno MDLXXXXV. à Petro Oſorio Aſturicæ Marchione initam de-

ſcri-

ſcribit, vt eam hic referre non pigeat. Alonſus de Moſcoſo illius Eccleſiæ Epiſcopus vnà cum Decano, & Canonicis Petrum exceperunt, duxeruntque ad Capitulum; quo peruentis, & Marchione in Decani ſede intra chorum ſedente, Epiſcopus ſermonem habuit, in quo memorato prius fœdo, ac ignominioſo centum puellarum tributo, quod à Mauregato Legionis Regno, Hiſpaniarumque Chriſtianitati, vt fama eſt, impoſitum fuerat, elegantiſsimè de bello egit, pro earum redemptione, ac libertate, inter ſtrenuum Ramirum Regem, & Mauros depugnato, & quantùm Villaluporum Domini virtus in ipſo emicuerit, aſſerens potiorem hanc fuiſſe cauſam, quà Romanus Pontifex motus inter illius Eccleſiæ Canoni-

cos Ramirum, relatumque Dominum, eorumque ſucceſsores adnumeraret. Hinc laudabilem à prima vſque origine morem repetens; deducenſque, quo Chriſti Vicarij vſi ſunt, ac vtuntur, vt ſcilicèt, cùm Principes, ſtrenuique Duces inſigne aliquod pro Eccleſia Romana facinus præſtant, his Roſas, vel gladios benedictos, illis Sanctorũ reliquias, alijſque priuilegia, honeſtoſque titulos concedant, factum eſſe, ait, vt Legionis Regi, Dominoque de Villaluporum pretioſiorem, quæ in Hiſpania dari poterat, gemmam, hoc eſt inſignis Legionis Eccleſiæ Canonicatum cõceſserint: His peractis, poſt præſtitũ à Marchione fidelitatis iuramentum, vniuerſi è capitulo ad chorum, ſeruato ordine, proceſſerunt, vbi poſtquam vnus

ſuam

ſuam quiſq; ſedẽ,& Marchio primã occupaſset, interfuit Miſsæ horiſque Canonicis, ac illius diei diſtributiones oblatas libenter accepit.

Et tandem huic, vt diſsertationi finem imponam,fateor verum eſse, quòd in Legionenſis Eccleſiæ Archiuio Bullæ non reperiantur, ſed traditiones adeò antiquæ sũt,& memoriæ ſic inueteratæ, vt earum defectus nequaquam huius dignitatis exercitium impedire poſſit; cum octingentos ab hinc annos Caſtellæ Reges, ac Domini Villaluporum illam quietè poſſideant, 30 hocque ita notum omnibus,ac exploratum eſt, vt nunquam in controuerſiam venerit: 31 Adde quòd in re tàm antiqua, & perpetuò obſeruata ſolæ traditiones ſufficiant, 32 & hiſtoricorum teſtimonia;

33 ſiquidem ſi in huius generis conceſſiones; ſimileſque confirmandas diplomatum inſpectio requireretur, nullum forſitan in Europa priuilegium eſset, quod non corrueret, & potiſſimùm in Hiſpania, quã barbara, immaniſque Maurorum Tyrannis ità vniuerſam ſubuertit, vt ſpeciali Dei miraculo aſcribi poſſit, ac debeat, ſi poſt eius receptionem aliquot Sanctorum reliquiæ, imagines, ſcripturæque à pijs illis, ſanctiſque Veteribus ne in hoſtium manibus peruenerent ſuffoſsæ, repertæ ſint.

Hactenus de Canonicatus origine, in quo perſcrutando id etiam ex Hiſpaniarum rerum ſcriptoribus (Humaniſſime Princeps) innoteſcit Atauos tuos Regio fuiſse coniunctos ſanguini; 34 nec mirum

cum Oſoriorũ antiquitas ea ſit, vt eius initium, veluti Nili fontes adhuc incompertum remaneat, vt paſſim fatentur, qui Hiſpaniæ nobilitatis exordia quærunt: Addo his prærogatiuis & aliam, nempe primi Comitis titulum penes ſe eſse, 35
ſed cum huius, qualis qualis ſit diſſertationis inſtitutum id fuerit, vt tui Canonicatus præſtantia detegeretur, omitto alia quamplurima familiæ tuæ decora, quibus gloriari, & rectè poſses; ſatiſque pro nunc mihi dictum ſit, ſi hoc patefacto illud intereà publicè eluceſcat Regem inter, ac Excellentiam Veſtram dignitatis ſymbolum intercedere.

Hæc porrò diſſertatio eam apud Congregationis, quam diximus, Cardinales, fidem demeruit, vt non modò Marchionem Legionenſis Eccleſiæ Canonicum eſſe

pronunciauerint, verum etiam tàm insignis, & vetustissimæ institutionis originẽ, tâmque magnum in nobilissima Asturicæ Dominorum familia ornamentum agnouisse summopere gauisi fuerint: Admisso hoc modo ad liminum visitatione Marchione, cum scirent cautum in Pontificũ sanctionibus electum ab Episcopo Presbyterio initiatum esse debere, eidem facultas impertita est alium in sui locum subrogandi: Hoc Congregationis decretum ad Pontificem, qui referret Brancaccius Archiepiscopus (nunc Viterbiensis Ecclesiæ meritissimus Præsul) eiusdem Congregationis à secretis, designatur. Exhilarauit Clementis animum determinatio, decreuitque, derogatis pro hac vice quibuscumque constitutionibus, ipsi Marchioni Canonico Legionensi permitti in liminum visitatione Episcopi vicem sustinere, nec sine ratione, quippè vt qui speciali gaudet prærogatiua, singulari etiã prosequeretur honore: Quorum omnium cum certiorem idem Antistes Osorium reddidisset, ille ali-

quot post dies Apostolorum Basilicas piè visitauit, vt ex attestantium apocis apparet.

Ex hactenùs scriptis, relatisque nullú credo fore, cui non meridiana luce clariùs patescat, Excellentissimam Asturicæ Marchionum Domum, & si innumerabilibus, vt ità dicam, prærogatiuis insignem, hac vna, Canonicatu scilicèt Legionensis Ecclesiæ, sic acquisito, & per tot secula possesso, mirabili quodam virtutis fulgore circumfundi: Et sanè si res ex se ipsa perpendatur, nil in Hispaniæ Regnis maiori admiratione, ac veneratione dignius reperiri posse fatendum est.

ANNOTATIONES,

AVCTORVMQVE TESTIMONIA.

I

ABsurdum est si promiscuis actibus rerum turbentur officia, & alijs creditum, alius subtrahat; inquit Imperator *in l. consulta diualia, C. de testam.* hinc sicut clericis prohibitum est ad secularia officia assumi, *ex text. in cap.* 1. 2. 5. *&* 8. *& toto titulo, Ne Clerici, vel Monachi,* dicente Apostolo 2. *ad Timotheos cap.* 2. *in princip. Nemo Deo militans implicet se negotijs secularibus;* ne scilicet ab altaris obsequio cui addicti sunt, distrahantur. *cap. Cyprianus, & cap. hi qui* 21. *quæst.* 3. Carolus de Tappia *in const. Regni, ad cap. clerici sub tit. de Episc. & cler. n.* 3. Petrus Gregorius Tholosanus *syntagm. iuris lib.* 47. *cap.* 10. *n.* 18. Mastrillus *de Magistratibus lib.* 2. *cap.* 6. sic etiam nec secularibus licuit in ecclesiasticis officijs se immisceri; hinc repelluntur non solum à choro, sed à Presbyterio, vt expressè Clemens Primus, sanciuit *in can. Sacerdotum aliorumque de Consecrat. dist.* 2. inquiens, *Sacerdotum, aliorumque clericorum Ecclesiæ seruientium honores à laicorum loco discretè apparere conuenit: Quamobrem nulli laicorum liceat in eo loco vbi Sacerdotes, & reliqui clerici consistunt. (quod Presbyterium nuncupatur) quando Missa celebratur, consistere, vt liberè, ac honorificè possint sacra officia exercere;* hoc ipsũ Turonica Synodus *Can. vt laici IV.* ita expressit: *Vt laici secùs Altare, quo sancta mysteria celebrantur, inter clericos tàm ad vigilias, quàm ad Missas stare penitùs non præsumant: sed pars illa, quæ à cancellis versus altare diuiditur, choris tantum psallentibus pateat clericorum.* & Concilium Toletanum *IV. Can. nonnulli* 17. breuiter, sed ad hunc finem; *In choro clerus extra chorum populus;* Conciliumque Coloniense *par. IV, Can. XIII. Antiquissimis Canonibus in plerisque etiam Concilijs sancitũ est ne laici secùs altare inter clericos ministrent, neuè insacrati ministri licentiam habeant ingrediendi in sacrariũ, quod Græci Diaconium appellant.*

Azo-

2
Azorius *instit. moral. par. 2. lib.6. cap.2. quæst.5.*
3
Licet Ambrosius Theodosium e Presbyterio expellerit, eiusque monitioni lubens paruerit Imperator, vt refert Theodoretus *lib.5.histor.cap.*17. Nicephorus *lib.*12. *cap.*41. & Sozomenus *lib.*7. *cap.*24. attamen Maiestatis decore fulgentibus permissum legimus in Presbyterio locum ex Rota apud Coccinum *decis.*142. *num.*2. Hinc Synodus VI. in Trullo *Can.* 69. cum statueret ne laici templi adyta ingrediantur Imperatorē excipit, cùm is altare accederet oblationis gratia: *Nulli omnium liceat, qui quidam sit in laicorum numero, intra sacrum altare ingredi ab eo tamèn nequaquàm prohibita potestate Imperatoris, quandoquidem voluerit Creatori dona offerre, ex antiquissima traditione.* In quem Canonem Aristenus: *Excepto*, inquit, *Imperatore nullus ex Laicis in sanctuarium ingreditur. Expositio. Laicis sanctuarium impenetrabile est; Imperatori verò concessum est in illud ingredi, cùm placuerit, & dona Deo offerre.* Balsamon: *Probibet præsens Canon, ne Laici ad altare ingrediantur, vt quod sit præfinitum ijs solis, qui sunt sacris initiati. Id autem, inquit, Imperatori soli, licèt sit Laicus, concessum est, quando munera Deo offerre voluerit, ex antiqua quadam consuetudine.* Zonaras: *sacrificandi locus initiatis hominibus seorsim destinatus est. Proinde Laicos ab illius ingressu arceri Canon iubet; sed ita vt Imperatori tamèn, cùm sacra munera Deo oblaturus accesserit, sacra adyta intrandi soli sit facultas.* Obserua illa Canonis verba *ex antiquissima traditione*; id est ex consuetudine, qua vsus Valens, Theodosius, & alij; de Valente hæc habes in Gregorio Nazianzeno *Orat.* 20. *quæ est funebr. Cùm quidem ille nescio quomodò rursus nobiscum in Ecclesiam se contulisset, & intra velum extitisset.* Hinc postea factū, vt Principibus, nullum qui recognoscunt in temporalibus superiorem, honor hic fuerit etiam delatus, vt affirmat Dān. de Nobil. *disp.*65. *num.*54. & ex eo Ceccoperius *lucubrat. Canonical. Bibliotcsser. lib.2. n.*59. & de Comitibus Prouincialibus Galliæ, alijsque Dynastis

Dadinus Alteſerra *de Ducib.& Comit. Gall. lib.* 1. *cap.* 12. eoque hodie deuentum, vt ad Miniſtros Regiæ, qui poteſtatis ſuſtinent vices extēdatur, vt tradit Ioannes de Bordenaue *de l'eſtat des Egliſes Cathredral. & Colleg. part.* 1. *cap.* 3. *n.* 4. *pag.* 183.

4

Vincentius Bellouacenſis, & poſt eum Lupoldus Bambergenſis, ex quibus Dadinus Alteſerra *de Ducibus, & Comit. Prouincial. Galliæ lib.* 1. *cap.* 12.

5

EKKeardus de Caſib. Monaſt. S. Galli: *Vidi egomet ipſe Conrado Imperatore Ingilinheim paſcha agente S. Galli Monacho ſcholas Magontiæ curante, officium, vt ſolitum eſt, in medio chori crebrò coronati inſpectu agere*.

6

De Leone Armeno teſtis eſt Cedrenus *pag.* 404. ſcribens *ſolebatq; ipſe cantum auſpicari, cum in Dei laudationibus pſalmi cantarentur, maximè cùm Natalitio Chriſti feſto Canones pſallebantur*; & de Theophilo idem Cedrenus *pag.* 428. *Ac ferunt eum carminis amore illectum in ſolemnibus ad magnam ædem conuentibus non detrectaſſe manu chorum regere, & clero dediſſe, muſicæ gratia centum libras argenti*; & de Michaele Balbo hoc ipſum refert Zonaras *in eo*.

7

Vt habetur ex Regijs litteris *Dat. Neapol.* 3. *die Nouemb.* 1304. quibus inter alia hæc leguntur: *In ſignum deuotionis retinemus nobis, & hæredibus noſtris, quod cùm perſonaliter erimus nos, & noſtri hæredes in Baro, quotidianas diſtributiones recipiamus ab ipſa noſtra Eccleſia, ſicut vnus de Canonicis ipſius noſtræ Eccleſiæ recipit, & recipere habet, &c.* & refert Ferdinandus Vghellius *tom.* 7. *Ital. ſacr. in Archiep. Barenſi fol.* 894.

8

Chriſtianiſſimi Reges diebus ſolemnibus, pontificijs amicti infulis inter Sacerdotum choros apparere, & ſacra cum his carmina concinere gloriati ſunt: De Ludouico P. inſinuat eius vitæ Auctor, cùm ipſius pieta-

pictatem tantopere cõmendat, vt Sacerdotem magis, quàm Regem visum testetur. Hinc nobilioribus in Ecclesijs Galliarũ Canonicos se iam olim inscribi voluerunt, vt in Ecclesia B. Virginis Clericensis, affirmat Coquille *en l'histoire du pars de Duchè de Niuemois pag.* 159. Ebrodunensis, refert Ranchin. *tom.2. de la descript. de l'Europe, pag.* 380. S. Ioannis Lugdunensis, Petrus Matthęius *en l'histoire d'Henry IV. lib. 2. nar. 5. n. 4. tom. 1. pag.* 423. & Author relationis *des Antiquitès, & recherches de la grandeur, & Maiestè des Roys de France liu. 1. disc. 2. pag. 171. & seq.* & iuramentum, quod præstat Rex Franciæ in adipiscenda possessione Canonicatus, & Abbatiæ B. Martini Turonensis, habes in Relatione, quam ex Archiuio S. Martini Turonensis deprompsit Philippus Labbè *tom. 2. de l'alliance Chronologique, au meslange curieux chap. dernier.* §. 37. *pag.* 716. Est etiam Canonicus Pictauiẽsis Ecclesiæ, teste Panormitano *in cap. extirpandæ, §. qui verò de præben.* Barbosa *collect. in cap. cum M. 9. de constitutionibus num. 15. ad verb. transcriptus*; Francez *de Eccles. Cathedrali cap. 5. num. 74. & seq.* illumque Cœnnomanensis etiam Ecclesiæ Canonicum esse tradit Chopinus *de sacra polit. tit. 5. n. 8.* Vide Antonium Mornac. *in obseruat. ad 24. lib. digest. ad leg. 14. de religios. & sumpt. funer.* Limneum *notitiæ Regni Franciæ lib. 2. cap. 6. & in testim. ad lit. SSSSS*, Dadinum Alteserra *de Ducibus, & Comit. Prouincial. Galliæ lib. 1. cap.* 12. Hallier. *de sacra elect. tit. de sacra vnction. artic. 5. §. 4. n. 19.* Stephanum Pasquier. *des Recherches de la France liur. 3. chap. 37. in fine.*

9

Bret *de la souueraineté du Roy liur. 1. chap.* 18. inquit; *il serà obseruè pour vne marque de l'ancienne pietè de nos Roys qui aux Eglises superiures, dont ils son fondateurs & patrons, ils veulent estre en rolles au nombre des chanoines, & ancenniement ils se vestoient d'vn surpelis, & prænoient place dans le choeur auec eux pour y faire le seruice diuin, iusques la mermes qu' ils receuoient les distributions manuelles, & les fruicts de leur prebende.*

Gesta

10

Gesta Coronat. Maximiliani apud Marquard. Freherum. *Item venerunt Capitulares Ecclesiæ Aquensis, recipientes Regem Romanorum in Canonicum, qui ipsis præstitit iuramentum, quoad præbendam hanc in eadem Ecclesia, & dederunt sibi locum in choro, ipse etiam dedit statuta, & vinum admissionis.*

11

Ceremoniale Romanum Auctore Marcello Episcopo Coruiren. *lib.*1. *sect.*5. *cap.* 3. vbi postquam Imperator præstitit iuramentum in manibus primi Cardinalis, *Tunc indutus supelliceo, & almutio recipitur à Canonicis S. Petri in Canonicum, & in fratrem, quod omnes stans ante altare dictæ Cappellæ recipit ad osculum pacis.* & *cap.*4. refert, quod in Ecclesia Lateranensi expleto cantu Hymni *Te Deum* tunc *resumpta Corona recipitur in Canonicum, & fratrem Ecclesiæ Lateranensis, & Canonicos omnes recipit ad osculum pacis.* Vide Azorium *instit.moral.par.*2. *lib.*10. *cap.*5. *quæst.*3. Hallier *de sacra vnctione art.* 5. §. 4. *num.* 19. Castaldum *de Imperatore quæst.* 29. *n.* 4. Francez *de Ecclesia Cathedrali c.*5. *nu.*74. Summoque Pontifici ministrat vice Subdiaconi, vt tradit Durandus *in ration. lib.*2. *cap.*8. *n.*6. hisce verbis; *Canon Adriani Papæ* 63. *distinct. Valentinianus in fine videtur innuere, quòd Imperator debet ordinem Subdiaconatus habere, vbi dicitur Adiutor, & defensor tuus, vt meum ordinem decet, semper existimam: sed non est ita: gerit tamen illud officium: quoniam in die ordinationis suæ receptus primo in Canonicum à Canonicis Sancti Petri, ministrat Domino Papæ in missa in officio Subdiaconatus parando calicem, & huiusmodi faciendo.* de Friderico III. Vide Henricum Mutium *lib.* 29. *Chron. init.*

12

Reges nostros Hispaniarum inter Canonicos Toletanos, ac Burgenses adnumerari testantur Solorzano *in Polit. lib.*4. *cap.*2. *fol.* 509. Aegidius Gonzalez de Auila *teatr. ecclesiast. de España, Iglesia de Burgos pag.* 9. Fran-

Francez *de Eccles. Cathedral. cap.5.nu.74.* & D. Nicolai Barensis vti Reges Neapolis refert Vghellius *Ital. sacr. tom.7. in Archiep. Barens. fol.894.* vt Comites Barcinonæ eadem prærogatiua in illius Ciuitatis Ecclesia gaudere tradit Olibanius *in Comment. ad Vsaticum cap.13. n.6.* & Legionensis Ecclesiæ Canonicos esse affirmant Palat. *in repet. cap. per vestras nu.28. fol.4.* Petrus Enriquez *cons.9. num.11.* Augustinus Barbosa *collect. DD. in cap. cùm M. 9. de constitutionibus nu.15.* Aegid. Gonzalez de Auila *teat. Eccles. de España Igleba de Leon.pag.378.* Francez *de Eccles. Cathedr. cap.5. num.74.* Valdes *de dignit. Regum Hispaniæ cap. 14. n.14.* Solorzano *in sua Politica libro 4. cap.2. fol. 509.* & omnium diffusè Athanasius de Lobera *grandezas de la Iglesia y Ciudad de Leon cap. 10.*

13

Bellum hoc quia memoria dignum referunt plenissimè Rodericus Sanctius *Hispan. histor. par. 3. cap. 10.* Rodericus Toletanus *Chron. rer. gest. in Hispan. lib. 4. cap. 13.* Alphonsus de Cartagena *Anacephaleos. cap.54.* Franciscus Zarapha *de Regib. Hispan. lib.7. cap.13.* Illescas *histor. Pontifical. lib.4. cap.85.* Garibay *compend. histor. lib. 9. cap. 18.* Ambrosius de Morales *histor. de España lib.9. cap.7.* & *2. part. lib.13. cap.52.* Iulianus del Castillo *histor. delos Reyes Godos, lib.3. disc.5. & 8.* Salinas *histor. de la batalla de Clauijo.* Gregorius Lopez Madera *Monarchìa de España cap.8.* Mariana *de rebus Hispaniæ lib.7. cap.13.*

14

Athanasius de Lobera *Grandezas de la Iglesia, y Ciudad de Leon cap.10.* hæc ad rem; *serà justo decir tambien del don particular con que los hombres premiaron al Rey Don Ramiro, y à su Alferez. Porque no obstante que el mas que humano sucesso de esta guerra eternizò el nombre del Rey Don Ramiro, y lo hizo celebre, y famoso en los ogos de todo el mundo, con todo esto el Vicario de Christo (que en esta sazon gouernaua la Iglesia) en señal del espiritual negocyo, que toda ella hauia recibido, de ver libres los Christianos de España de la miserable seruidumbre, en què tan infame tributo los tenia*

pue-

puestos, quisò premiar con sus proprias joyas à los principales ministros de esta libertad; Y aunque muchos le fueron, por auerse señalado mas el Rey Don Ramiro, y el Señor de Villalobos les concedio que ellos, y los que dellos descendiessen, para siempre jamas fuessen Canonigos de la Sancta, y insigne Iglesia de Leon, y como tales gozassen de todas las preeminentias anexas à la dignidad. En lo qual (me parece) que el Pontifice Summo no solo atendio à premiar el sancto zelo, y valor de los sobredichos, sino tambien à honrar de passo, y auctorizar la nobilissima Ciudad de Leon. Hactenus Lobera.

15

Rodericus Toletanus *de reb. Hispan. lib.6. cap.14.* de religiosis actibus Regis Ferdinandi scribēs hæc innuit; *In ipsa autem nocte Dominicæ Natiuitatis licèt æger ipse Rex cum clericis interfuit matutinis concinens, vt infirmitas tolerabat.*

16

Rodericus Toletanus *dicto cap.14. in princ. Cùm verò quadam die in Cathedrali Ecclesia Legionis audiret diuina, vidit Ministros Ecclesiæ causa familiaris inopiæ nudis pedibus ministrare, & statim certos reditus ad calceamenta instituit ministrorum.*

17

Athanasius de Lobera *Grandezas de la Iglesia, y Ciudad de Leon cap. 10. Tambien dizen los que lo oyeron, à los que lo vieron que estando el Catholico Rey Don Fernando en aquella Ciudad (adonde auia venido cō muchos grandes à hallarse presente, y festejar el recibimiento, que se hazia à la reliquia del glorioso Centurion, y martir S. Marcello, que se trasladaua, desde la Ciudad de Tanger (donde fue martirizado) à la de Leon (de donde era natural) siempre que el Catholico Rey fue al Coro, se ponia en su silla de Canonigo, y como tal recebia las distribuciones que se dauan.*

18

Quale nobilitatis, ac præstantiæ decus apud Hispanos nostros Osoriorum Familia obtinuerit, nemo est cui sit ignotum; eius verò principium, temporum iniuria, quia absconditum ansam Scriptoribus præbuit

ab

ab Osiride Aegyptiorũ Principe in Hispanijs, vbi Geriones ad expugnandos se contulerat, affirmandi; Porrò Marchio Santillanæ *in libro delos linages de España*; Ioannes Rodericus del Padron *in compendio de linages*, & Didacus de Valera *in tractatu delos Varones illustres de España*; à Dionysio Osorio Imperatoris filio initium habuisse affirmant; Ferdinandus Perez de Guzman ex Comite Don Osorio, alij ex alijs quamplurima, sed ex fabulis concinnata, retulere; *son tan sin fundamẽto*, scribit Prudentius de Sandobal *decendencia de los Osorios pag. 255. y las que parecen que tienen alguno dichas por autores tan nueuos, y ellas tan antiguas y sin comprouaçion de autor antiguo y graue, tiempo y lugar, que no ay que detenernos en ellas, ne las doy credito, que seria hazer sospechoso lo muy verdadero*; Verum enim verò Osorios tàm sub Gothorum regimine, quàm antea, maxima ab Hispanis prosecutos fuisse veneratione veritati consonum est. *Para honra, y grandeza deste linage*, subdit Prudentius de Sandobal; *baste saber que agora setecientos años eran Condes y Duques, y de tan alta sangrè, que los Reyes casauan con sus hijas, y ellos con hijas de los Reyes; y que esta grandeza se ha conseruado desde aquellos tiempos à estos, aunque con algunas mudanças, y altibaxos de fortuna, quales las suelen tener las cosas mas altas de esta vida*; Maurus Castellà Ferrer *histor. del Apostol Santiago lib. 3. cap. 12.* hoc ipsum asseuerat hisce verbis; *Fue siempre esta Familia muy señalada, conocida, y estimada por de las antiquissimas, y nobilissimas de España. En los tiempos de los Godos, y antes dellos, se dize que tuuo gran calidad y grandeza: en los subsequentes à la batalla de Clauijo continuadamente asta los nuestros, estan llenos muchos priuilegios, y escrituras de firmas de Principes, y Caualleros della. En la donaçion, que hizo el Catholico Rey Don Alfonso Magno à Santiago en el dia de la consagraçion de su Iglesia à 5. de Mayo de la era DCCCCXXXVII. firma el Conde Osorio*: Osorius Comes conf. *Tengo por muy cierto, que era della S. Ruderindo, y ay desto grandes conjeturas, porque en su donaçion, que hizo à su Monasterio de Celenoua*

en 26. de Septiembre de la Era de DCCCCLXXX. adonde firman su primo ò sobrino el Catolico Rey Don Ranimiro II. y Condes, y Caualleros deudos suyos, se hallan las firmas de Nuño Osorio Conde, y Duque, y de Osorio Gutierrez Conde: Nuñus Osorius Comes, & Dux conf. Osorius Guterriz Comes, & testis conf. *Y bien entiendo que Froyla Gutierrez hermano del mismo Santo, fue Conde de Astorga:* Vide Prudentium de Sandobal, qui ex pluribus antiquitatis monumentis Osorios arctissimo coniunctionis, seu sanguinis vinculo cum Castellæ Regibus alligatos semper fuisse probat: Audias Ioannis II. regale iudicium in restitutione Comitatus Transtamarræ. *Por quanto vos Don Petro Aluarez Osorio Conde, y Señor de la Casa de Villalobos auedes mucho parentesco con nos, y nos auedes fecho grandes, y leales seruicios, &c. Data en Valdeiglesias en quattro de Hebrero de* 1445. vt refert Alphonsus Lopez de Haro *Nobiliario Genealogico lib.* 4. *fol.* 277.

19

Vexillum, quo apud Clauigium vsus est strenuissimus vir, & sub eo D. Iacobum militasse affirmare possumus, in futuram huius facti recordationem Asturicæ in Marchionum Domo asseruatur: Immò quouis anno ipso die Deiparæ mense Augusti sacro, ad Cathedrale templum, magno associante nobilium cœtu, populorumque tumultu ducitur, Capitulo obuiam ante Ecclesiæ fores ad illud recipiendum prodeunte; *En la Ciudad de Astorga* scribit ad rem Prudentius de Sandobal *Descendencia delos Osorios pag.* 255. *ay otra semejante, y enseñan vn antiquo pendon, que dizen es el mesmo que Luys Osorio tuuo en aquella batalla, y Vispera de nuestra Señora de Agosto, y otras, juntandose la Ciudad, y regimiento, sacan este pendon de las Casas del Marques, lleuandole vn pariente della, y si el Marques se halla en la Ciudad, và junto à el y con gran estruendo de vnos atàmbores de estraña hechura, que dizen (y el Leon otros semejantes) son los mesmos, que se ganaron en esta batalla, van à la Yglesia maior, y el Obispo, y Cabildo con solene processiòn los salen à recibir; y es vsado de*

tiem-

